Opuscula

PERIODUS
ÆTERNI VERBI.
PERFECTISSIMA
D. THOMAS AQUINAS
ANGELICUS
ET QUINTUS
ECCLESIÆ DOCTOR

Redeunte annuæ suæ Festivitatis Solenni Die.
In Perantiqua Basilica Ordinis PP. PRÆDICATORUM
Celeberrimi Conventus Posnaniensis,
Inclytæ Provinciæ Majoris Poloniæ.
In publico Dignissimorum Spectatorum Consessu.

APPROBATA

Ad perenne Sæculorum homagium
A

M. IACOBO ANTONIO IOSEPHO
SUROWIECKI

In Alma Generali Universitate Cracoviensi AA. LL. & Philosophiæ Doctore, in Collegio Lubransciano Academiæ Posnaniensis Dialectices & Rhetorices Professore, Contubernij Szołdrsciano-Episcopalis Præfecto

Panegiricis fastis

MANDATA

Annô quem Chronosticus indicat Versus.
MenDas aC Celerem ReX noXam eXstInguere pollens
Die Martii quem Numerus refert.
7 *Quem nostro, corde Trione colit.*

POSNANIÆ
Typis Academicis

In GENTILITIUM INSIGNE ILLUSTRISSIMÆ DOMUS

KOŁACZKOVIANÆ.



Epigramma I.

LITERA:quam signat famæ merus ipse Character.
Grata vetustas hanc: nulla delere valet
Hæc totum docuit Mundum pietatis Amorem
Hanc Reges lustrant, lustrat & Orbis eam.
Mandatus fastisq; perennibus Aureus ABDANC
Dignus Cælesti: creditur esse libro.

Epigramma II.

LITERA: quam spectas plenam virtutibus ipsis
Illius æternum gloria tradet opus.
Hæc Nota præclaris meritis distingvitur Almè
Sic KOŁACZKOVIUS, quilibet Almus adest
ABDANC Celsorum monstrans monumenta virorũ
Litera sit oculos : illa morata DEI.

PERILLVSTRI.

ac

MAGNIFICO DOMINO.

D. HIERONIMO

De konary

KOŁACZKOWSKI

IUDICI TERRESTRI SCHOVENSI

DIGNISSIMO

MECÆNATI AMPLISSIMO GRATIOSISSIMO.

SUpremum Theologorum Numen THOMAS, Totum ſe conſecrat Magno Tuo Nomini & Honori, ſufficitq; Quinto Eccleſiæ Doctori ad Gentilitium Tuum ABDANC primum æſtimationis præſtolari valorem, ſufficit Perfectiſſimæ ÆTERNI VERBI Periodo THOMÆ in ſinu Ampliſſimæ Gratiæ Tuæ concenturiatum capeſſere ambitum. Perilluſtris Magnifice Domine, Mecænatum Faventiſſime. *Doctoralis equidem AQUINATIS calamus non alibi præſcripſit ſibi ſtationem: tantum in Auguſta Tua Domo, tanquam in* Regia *Solis. Radijs Beatorum Coruſcanti Thomiſtico Phæbo: inter Illuſtriſſimas Clariſſimorum Tuorum Prædeceſſorum Ceras exoriri, eminere, & decorum & ſatis almum. Sereniſſima quæ à* Regibus Siciliæ & Aragoniæ *deduxit lineamenta, fulgentiſſimis, Majorum Tuorum aſſociat lineis ad præcelſum Tuæ famæ Olympum pulchrum eſt illi ſplendeſcere: ut in gradu elevato, in excellenti.* Angelico Doctori *dulciſſima eſt converſatio cum Inclytis* Tuis *Anteceſſoribus, quorum in terris recordatio dulcis, quorum Nomina Numina ſunt, quorum unuſquiſq; Angelus dici debet: ac* Nuntius *ſuæ famæ. Æmulus Cæli Thomiſticus Titan Præclaræ Domus Tuæ lumina æmulatur, reflexôq; indicat radio omnes Illuſtres hac in Familia Viros Phæbo dignos, ſtellis affines, Cælo cognatos. Addidit au-*

vum auro & gemmulâ gemmis liberalissima manus JOANNIS Skarbek Comitis & Poloni Legati à Boleslao Crivousto *de Inclyto* Abdancorũ *Stemmate Insignis Viri, ad pretiosum* Henrici Cæsaris *gazophylaciũ, detractoq; annulo æternam sibi desponsavit memoriam, Tuo vero Aureo* Gentilitio Abdanc *ad majorem æstimationem Gemmam Doctorum, Aureolum Theologorum* THOMAM *adjcimus: nihil detrahimus: tantum Doctoralem annulum, cui pretiosa Tua insertimus facta, Nominis Tui insculpimus Imaginem, ut potè perenni adorea Dignam. In Celeberrima hac Domo aurea nascitur messis Virorum quoscunq; requires hac de stirpe Majores: Magnos miraberis magnamq; in illis laudum materiem.* Excedit captum tenuis ingenij Illustrissimus Præmislaus *primò de* KOŁACZKOWICE *tandem divisione stativorum cum* Konarscijs *dictus* de Konary KOŁACZKOWSKI CASTELLANUS Konariensis. *Magnus hic* Seren: Sigismundi I. *Ephæstio, pro domo Poloni Orbis Cyneas, in publicis negotijs ad exteros Principes Legatus. Principibus placuit Viris, principe à sæculis gloria Dignus. Notus fama ubivis terrarum,* Ubislaus de Konary KOŁACZKOWSKI Succamerarius Calissiensis, *exoticis lingvis celeberrimus, ingenio majestuosus, adimplevit in se mensuram celsi nominis & gloriosæ vitæ metam limitesq; amplissimorum dimensuravit operum. Eum spirabat Martem, quem in Annibale Amilcar non vidit, strenuam bellandi cum sciverit artem primus hic* Invictus *Triumphator ipsos edocuit* Rothmagistros, *duro ferro lechicos inarare campos ac palmares metere corymbos. Eminuit satis in conspicuis Nepotibus* Pacosio & Jacobo, *qui Majorem Poloniam magis ac magis ornârunt illustrârunt.* Georgius & PETRUS KOŁACZKOWSCII *generosi dicendi Aquilij: qui in hostes ut aquilæ involabant, ac Magnanimi Scipiones ut Patria staret illam fortissima vi armorum tuebantur. Liberalem fudit sangvinem.* MARTINUS KOŁACZKOWSKI Æconomus Ducatus Severien: *ne parcam apud posteros haberet laudem, temporibus* Vladislai *dexterrime ad* Smolenscum *obijt: an conspersa via proprij sangvinis purpurisso tanquam per molles Perseus rosas abijt ad cælum legitimè certans pro bono communi. In* JACOBO KOŁACZKOWSKI CanonicoCrac: S. R. M. Secretario, In Stanislao Canonico Gnesnen: Sigismundi III. Secretario *quævis aperta quævis illustrissima charismata: ut in sideribus Primæ Magnitudinis conspiciuntur, nullam ad fatales umbras ecclypsim patiuntur*

tur. Floridissimus ad centifolium immarcescibilis honoris ANDREAS KOŁACZKOWSKI ab Excellentissimo Ianusio Duce in Ostrog Castellano Crac: *ob auream svadam appretiatus, cujus præconia perennes referent annales, quos doctiloquo de re militari conscripsit calamo. Traxit etymum nominis normam fortitudinis ab* Alexandro ALEXANDER KOŁACZKOWSKI *exæquavit in se Macedonem dum nunquam cedere scivit malis sed illis audentior obviam ivit.* Joannem, Stanislaum, Sigismundum, MarcumKOŁACZKOVIOS:& Adamum *in Aula* Sigismundi *commorantem ferreus armorum stylus: claris Virorum inscripsit monumentis, ut pote* Clarissimos *bellicosis in velitationibus Heroas. Pretium Sæculorum* Nicolaus KOŁACZKOWSKI Castellanus Krzywinensis, *varijs functionibus unus hic suffecit Atlas. Legatum agendo* à Sigismundo III. *in Sveticum Regnum cum sollenni plausu ut alter Mercurius susceptus: quem antiquitas Deorum Internuntium esse credebat. Binas ille* FILIAS Cæciliam & Constantiam *reliquit, quas Polonus Orbis veneratus est ut duas Gratias quarum una* Illustrissimo Joanni à Leszno LESZCZYNSKI PalatinoBrzestensi, Supremo Vice-Cancellario Regni, *Altera* Stephano à Grudna Grudzynski Capitaneo Ustensi & Belemoviensi *in delicium cessere: Honorem Amplissimæ* KOŁACZKOVIANÆ Domus *excellentius ornavere: quàm gemmæ annulum solent. Spectabilis est* Abdancovianus *Character copiosam dicendi repræsentans materiam in* Perillustri Magnifico Domino D. Procopio de konary KOŁACZKOWSKI *Præstantissimo* Auo Tuo. *Fons hic Illustrissimæ fuerat Prosapiæ alti Sangvinis derivans scaturiginem* de Illustrissima Zdrowska. *Aureus ingenio, ætate argenteus, prodigiosis factis alter Visimirus, amicus Reipublicæ, inimicus nulli tantum hostibus fidei. Veros Majorum jactabat vultus, verissima perfectionis fuerat Icon, nobilissimæ originis repræsentativum Objectum. Generoso animô Achilles, claro* Nomine *Flamminius, fortunâ Lucullus videbatur, ac omni gloria luculentus. Quæ alios divisa efficiunt beatos, hæc in uno* Procopio *collecta copiose ceu in Sole radij in fasciculo flores: Ejusq; in laudibus nihil est: nisi quoddam immensum. Vivit factis post fata perennis de Cujus pulveribus gloria renascitur* Phœnix. *Ad* Gentilitiam Abdancovianam literam *longum meritorum adjunxit syllabum,* ANDREAS de Konary KOŁACZKOWSKI Inclytus Amantissimus Pater Tuus *quem publica fama* Lucium,

pietas Aurelianum, *honorifici actus* Honorium, *Universo commendârunt: Tuo honori Superi consecrârunt. Virum hunc* Rosa *& purpura Dignissimum ipse Augustus Sangvis quem* de Illustrissima Catharina Chłapowska *in se efformavit: indicat absq; erubescentia. Ad Illustrissimas Ceras lucidum Ejus nomen nulla obscurabit oblivio, nulla adversa exstingvet temporum Æolia, cui pro phæbeis radijs inexstinctos probitatum igniculos superaddere scivit, Tuæ Illustrissimæ Domui* Magnifice Domine, *insignes decorum accendit prognoses. Ardebat hic* Andreas *igne amoris erga Superos, ardebat pro Patria mori & dum non potuit: obijt in Patria, perfectum vitæ exitum gloriosis factis comprobavit. Accessit novus splendor* Clarissimæ *huic* Domui *ab* Illustrissima Catharina Chłapowska de Illustri: Szołdrska Illustr: & Reveren. D. ANDREÆ SZOŁDRSKI Episcopi Posnaniensis Germana Sorore *procreata.* Avia Tua Excellentissima *quæ omnem* Aureæ AbdancorumLiteræ *exornationis addidit figuram, Purpuratos Viros ex materia Purpurati Sanguinis Polono Senatui procreavit. Prodit in publicum Spectaculum, quam olim in lucem* Illustrissima Kaczkoviana *Stirps prodidit* Sophia Krzyzanowska, Mater Tua Dilectissima, *quæ Genere Iuno, specie Polona Amalthæa, mira vitæ præstantia Tomiris, nobilitate Renata, venustate Pandora, cultu Divorum Claudia, singula in se ut in viridario conclusit specimina: ipsi in oblectamentum cessit Cælo. Illustris* Tua *Domus* Perillustris Magnifice Domine: *ut pote in qua Fulgentissimæ Majorum Ceræ tot pulcherrimæ in prima facie Celsorum* Aborigenum *supereminent Icones. Magnificentiâ in Te tanquâ lilia in horto sive astra in Cælo conclusisti,* Perillustris Magnifice Dne. D. Hieronime de konary KOŁACZKOWSKI Judex Terrestris Schovensis Dignissime, *Magnû Nomê Tuû, magna est panegiris laudis Tuæ tam sublimis excellentiæ: ut vix attingi ab Oratoribus possit, lustrantur in Te illustria merita inæstimabilia decora Iberiacas exsuperantia arenas ac Dalmaticum aurum.* I*visti de probitate in probitatem per honorificos actus, nulla non aurelia via processisti & cum fueris ejusmodi Celerinus non egisti Lentulum ad eminentem dignitatis gradum imprimis* Calissiensem Pocillatorem *nunc* Judicem Terrestrem Schovensem *administrando: utriq; officio satis ad gloriam sufficis, Tuis præconijs exigua hæc pagina sufficere impar. Langvida nunquam est* Reipub. *salus, cui in* Pocillatorem *sive in* Refocillatorem *cessisti nec*

ad

ad præsens laborare videtur, pro cujus Domo sedulo laboras: erudito calamo saluberrima præscribis media, in quovis subsellio Sedentarium agis pro Ejus Integritate, pro DEO & veritate. Iustissimũ *Ryphæum adamussim observas, custodia legum civitates defendis bene gnarus quod non adamantinis vinculis quæ Dionisius Senior crebro in ore habebat vi atq; metu: sed justitia & æquitate quævis imperia retinentur. De cælo Iustitia prospexit ac Te Dignissimum* JUDICEM *perspexit: divina in terris obeuntem munia, omni fidelitatis munitum Sacramento. Erudis pijs laboribus manus, explicas magna munerum exempla cum munificis* Alphonsis, *beatissimæ in Te dotes concelebrantur: liberalitas & clementia, aurifluam liberalitatem in Divorum Altaria spargis, seminas largam munificentiæ messem in pupillos: ut fructus cum benedictione metas. Clementia singulos Tibi obligas, per Te Eximium* Judicem *multi conservantur, consonum est ut Te* Emeritissimum Virum *sæcula nobis reverenter conservent. In Iudicijs, Comitijs, Tribunalibus quamcunq; formasti vocem, hæc dici debet vox Clamantis pro Salute Patriæ: an potius vox Declamans totum per Orbem tuam famam. In theatro corporis speciosa quævis prætefers insignia, proscenium non aliud repræsentas, nisi prodigiosarum probitatum. In* Viennensi Bello *temporibus* IOANNIS III. *herojces actus Tuos nõ cõmemoro, quos classicus famæ publicabit rumor: prout pro Domo Tui honoris certabas, eodẽ coronato pede sub* AUGUSTO II. *lechicos calcabas cãpos laureas colligẽdo; dextra manu vitã* Magnorũ Procerũ *dexterrimè tuebaris: sinistra evaginata à rabie hostiũ arma, in ipsos malevolos herostratos movebas, fulmina jaciebas in eosdem feriendos, & quovis in discrimine fueras securus à fulmine malorũ: ut heros Laureatus. Præstolaris in venerãda senectute ab omnibus veneratione ampliorẽ adijcient sæcula vẽtura. Excellis humanitate Pompejũ, affabilitate Ottonem, majestate Cæsarianũ, ac ex omnibus Cæsar videris. Plura ingentia tua merita debilẽ meũ opprimunt calamũ, hæc enim encomiorũ summa est in Te: quia laudabilis es ac tota materia laudis. Coronæ cordis Tui* Dilectissimi Filij *ex* Prima Consorte Illu: Domina Elisabetha Bilinska, Illust: ac Mag. D. ADAMUS de Konary KOŁACZKOWSKI Colonellus S. R. M. & R. *paterna virtute beatus, ingenij celsitudine præstantissimus exemplari dotum superemi-nens authoritate. Exoticos Ille lustravit an potius illustravit soles, quovis in loco quovis in honorifico subsellio ut illustrissimus cernitur*

Phœbus per augem meritorum gradiendo. In manibus Ejus ferrum
gnescit, ex celsa fronte fortissimus cernitur Marcellus, pulcherrimo
virtutum satellitio stipatus, ubiris nonnisi in publicam venerationis
aciem prodit. Ad purpuras Natus Purpuratorum hic Ocellus Viroꝝ
Corculum Regum; Patronus Faventissimus Patriæ, hostibus infen-
sus. Resplendet ut tersissima Gemma ad pulveres mortalitatis: Qua-
lem fulgida virtus lucidumq; effecit Nomen. Illu:ac Mag. D. Lucas de
Konary KOŁACZKOWSKI Notarius Gnesn. postea Calisien.
qui licet cupidis sit præreptus ab astris, aureus Illum calamus omni
præferet ævo. Vigebit in floridissima sua Progenie Mathia Hieronimo
& Iosepho: quæ jam sub Lubransciana Pinu achæmenios spirat
odores, longioremq; gloriæ protrahet cursum, quē Illi tenuis vita abbre-
viavit. Ruit flexibilis calamus in adoream Peril: Adm̄. Rev. ac Exi-
mij P. Pauli de Konary KOŁACZKOWSKI Supprioris Dignissimi
Tremesnēsis. Quem omnes repetitis vicibus incoluere honores, innumeræ
virtutum & meritorū coronarere fasciæ: ipsa nōnisi bicollis Abbatialis
Infula emeritū Ejus Capitis verticē anhelat circūdare. Quātus sylla-
bus quā plurima significatio in ABDANCOVIANA LITERA quā amplissimus
processus in laudibus Tuis Gratiosissime Mecænas sæculorū explicabunt
myriades cū hæc spartha sit meis humeris impar. Sufficit ad gloriæ
Cōmendationē Abdancovianus character indelebilis in ILLUSTRIS-
SIMIS, Rogalinscijs, Zakrzewscijs, Morawscijs, Szołdrscijs, Bielin-
scijs, Golinscijs, Krzyzanowscijs, Kaczkowscijs, Zdrowscijs, Kowal-
scijs, Turobojscijs, Pękoslawscijs, Chłapowscijs, Obieźierscijs, Ra-
dolinscijs, Boianowscijs, Cieleccijs, Kosobuccijs, Dobrzyccijs, Smi-
gielscijs, Leszczynijs, Malechowscijs, Choienscijs, Buczaccijs, Iazło-
wieccijs, Konarscijs, Białobrzescijs, Bolemowijs, Słumowscijs,
Cieclinscijs, Machowscijs, Warsiccijs, Manieccijs, Zapolscijs, Gorzyn
scijs, &c. Ad Illustrissima igitur Magnarū Familiarū exempla sub
Gentilitia Litera Expressā, Clarissimis Tuorū Aborigenū meritis di-
stinctā ÆTERNI VERBI Periodū THOMAM, gratiosis Tuis conse-
cro manibus. ANGELICUS Hic DOCTOR argumentetur in forma
tuæ saluti adæquata: inferat annis annos successibus successus, con-
cludat Te Gemmā Virorū Doctorali in Annulo, Tibi Dignissimo Judici
adjudicet hoc privilegium: ne Te nivea de libro viventium deleat sene-
cta. Ita Voveo.

ILLUSTRISSIMI TUI NOMINIS.

Cultor & Humilis Adorator.

Author Operis.

ORATIO

AUgusta magnalia loqui, grandem elogiorum Iliadem capacissimo verborum complecti ambitu, AbyssumTHOMAM vasta mentis indagine profundiùs comprehendere, dubium ineffabile dictu, operosa sudoriferæ mentis pressura, perennis eruditorum nisus, tortuosum ingeniorum scrutinium, indefinitum sæculorum præconium, ac profundus ipsius æternitatis conceptus. AA. Amplissima quippe ac in universum compendiata laudum Summa in Angelico Doctore, Summum est sæculorum prædicamentum, humanorum transcendens ingeniorum, probabilis in universas Mundi partes propositio, cui exiguus Prothasis athomus si gigantesceret in tomum, Cælum si verteretur in folium, Orbis in orbicularem circumductionem vix sufficere possent. Admiranda THOMÆ præconia, longa amplificabit vetustas, definiet ætas præsens, sigillatim dividet sequens, ventura ætas de illis cum reverentia argumentabitur, ipsa æternitas absq; ullo concludet fine: de quibus in puncto nemo potest Oratorum. Præfulget admirabili notata stylo in tersissima Dominici fronte pulchrè supereminens Aurora ad tranandum tenui dictionis phasello Aquinaticum *Mare*, cunctabundè dirigendo lembum ingenii: nullum in illo terminum, nullas Gaditaneas fixas video columnas, plus ultra in profundum ejus ferri metuo, nec gemmas verborum defero: ut pote ejectamenta Aquinatici Maris. Abyssus THOMAS abyssum invocat in profundissima sua elogia, quantum illa expiscari licet calamo

e THOMA Abysso, tantusq; in laudibus THOMÆ datur proces-
us, tantum infinitum, ut nec cancellis prudentissimæ mentis vale-
t limitari. Arrectis auribus totum Vocales per Orbem avdien-
i sunt Prædicatores, qui dum prædicant invitant ad cathedram,
ec indefessa sua prædicatione intercipiunt Oratoria modula-
nina, sed reboanti ore acutâ linguâ obmutescentem etiam Me-
nnonem ad activam compungunt vocem. Ad nitidissimum So-
s diem exoritur Thomisticus Phæbus, de oleo eruditionis O-
atoria accendit lumina, phæbeum illis superaddit sudum, in
ollennem suum plausum largum communicat mendicabu-
um. Grandinent fluida repanso ore tenùs verba, fluat hyblæum
loquentiæ nectar, ubi THOMAS Abyssus ex præmisso suo No-
nine influit in consequentiam argumentorum, ubi AQUINAS
esolubile Elementum in aquas, opus Orationis facit elemen-
atum simile enim producit sibi simile. Glomerato currite pas-
u sive potius eruditîs ad Oratorios suggestus evolate pennîs ma-
ni Valerij, Lucij, Camilli, Arpinates, penetrativa vox adusq; cla-
nantium exposcit Prædicatorum, profundos sensus formate
e THOMA Abysso, Nomen Ejus perennibus mandate chartis,
ureis Praxitelis exprimite columnis, ne THOMAS Abyssus laba-
ur an elabatur de authographo memoriæ Immortalis. Saltim
nicam loquimini rosam Hortensij: Centuriati unanimi voto
ndulgent Viri, & si sub magna elogiorum mole fatiscetis, fulci-
nt vos floribûs, stipabunt vos rosîs Patres Rosariani. In Ange-
ica Schola sub multis Thomisticis Doctoribus insigniùs est pro-
iciendum in verba, discendum saltim aliquid: si non totum, imò
licere de Prædicatoribus: hoc totum præsupponitur esse in
Prædicatoribus. Edisserere magnalia THOMÆ si parvitas metuit
enuis dictionis: Ipsa Tiarata hujus Ordinis Capita non per
artes, sed ut quid totum nempè Thomam Corynthum celsæ
Sapientiæ, Summum Verticem Doctorum, Areopagum elevatæ
Scientiæ affirmant: ut Supremum Theologorum Numen vene-
rantur. Mirificô encomiorum instructum cothurnô feratur su-
pra THOMAM Abyssum Pneuma Oratorium, Abyssum tamen
THOMAM mirari magis quam scrutari licet, THOMAS ta-
men Abyssus dicit intensionem ad profunda ingenia, extensionem
protrahit ad infinitam æternitatem. Indelebilis gloriæ character
posthumæ intimabit ætati, nulla unquam obliterabit oblivio, quod
Thomas

THOMAS Emporium omnis literaturæ,Theatrum Doctorum, Universitas eruditionis,Sacrarium divini intellectus,Universale probitatum,ac imperscrutabilis elogiorum Labirynthus. THOMAS Abyssus imos sensus alluit,obruit flumen dicendi, obstruit ora loquentium,immenso,suo hiatu vim dicendi enervat,tantamq; causat tempestatem, ut de irrorantibus genas sudoribus fæcundus depluere videatur imber, verùm non absq; grandi sonitu fulminei oris. Componunt elephanteam Orationis Gigantomachiam vasta Magnorum Sanctorum lipsana,ac innumera BeatorumOssa in Peraugusto hujus Basilicæ Cimeliarcho,sed Jove Minorem THOMAM capere, metiri,palpare,cõtrectare,pondus fragilibus viribus impar, Thomisticũ Solem lynce prospicere pupilla nisus magnarũ Aquilarum. Grand s elogiorum moles non unum poscit Erysteum non unum aggravat bajulatorem, anxius in ulteriori processu anfractus erudita capita & sagacissimas mentes in quandam vertiginem rotat. Sane Quintus Ecclesiæ Doctor, primum est de principali specimine suæ laudis prædicabile, Abyssus THOMAS sub profundam cadit æternitatis cognitionem. Et quousq; tandem Lentulum non Celerinum in processu dictionis ages Orator? Quousq; tandem in Angelica Schola silentium observabis? Solvenda jam est in margine dicendi cymba ingenij, emergendum est de labiryntho difficultatum, plus ultra velis remisq; ad Abyssum THOMAM contendendum. Vado Orator ad Illustres Patrum Prædicatorum umbras, quo me prodromus coryphæus Dominici ducit catellus, Aquinatico Mari cum profundo submergor, submissionis præcipitio,& magnalia de THOMA loqui magnæ recommendo Æternitati. Consummatus Doctor THOMAS,perfectum de ÆTERNO VERBO absolvit sensum,in adæquata forma Increatam Sapientiam elevato suo calamo delineavit. Unde THOMAM Periodum ÆTERNI VERBI Perfectissimam in imagine Oratoriæ figuræ manifestabo. Ad Te Abyssum protectionis nostræ recurro Angelice Doctor,Abyssus es: influas in præmissas argumentorum,in exordio dicendi Eminentissime Theologorum Phæbe exoriaris, pande umbram gratiæ, athomum attrahe periodum,nec inferiora astra mea Oratio curabit, si a Te Superiori regulariter movebitur ad sphæram perfectionis. Fluet verò adamussim periodica circumductio, si illi ostium benevolæ attentionis aperietis DD., AA.

PRodigiosis lineis Prothogenis non utor ad delineandam in consummato omnigenæ perfectionis Systemmate Periodum, lumina nonnisi per diophtram ingenij coloresq; verborum applico, vos umbram gratiæ superaddite facilesq; este in mea Vota. A.A. Periodus equidem est brevis grandium verborum ambitus, adinstar venustæ ex varijs comis nexæ coronæ, adinstar Cælum præcingentis iridis, adinstar pronubi æternitatis annuli, adinstar parvæ imaginis Apellis rectissimas in se lineas concludentis. Ex pulsantibus suis acroterijs Olympum turribus basilica structura, ex tersissima fronte pura crystallus, ex attractione ferri magnes, ex gemmatis fibulis, argenteis tintinnabulis auroq; intextis filis paludamentum cognoscitur, ex integra verborum serie colligitur Periodus Perfecta. Occultum Periodi mysterium ex aperto Cælo possumus conjcere, cujus siderea frons quot appensas in àëre præfert lampadas, tot insignia sunt commata, quot stellæ tot asterisci, ad perfectum collimantes punctum, nempè Auricomô radiô distinctum Phæbum. In rotunda terræ figura sinuosus periodi est pulcherimè expressus ambitus, mundus in gemma, terra in corona, quid tantum sagacem in se movet pupillam hoc volubile patet, quæcunq; Suprema Intelligentia fecerat sunt valde bona, singula conclusa in perfectissima periodo, rotundissimè ex ore Altissimi efformata. Loquuntur Tiaræ & Infulæ toties membratim: quoties emerita membra coronant, hiantiq; suo ore toties fluidius perorare anhelant, quoties sitiunt tempora docta. Auro onusta Regum sceptra ingentes sunt exclamationis notæ: sub quibus multum proficit Orbis, nè extra sphæram virtutis rotetur. Floridam in ambitu terræ Syracusano populo demonstravit periodum ingeniosus Archimedes, dum illam sub rosa proprij sangvinis obsigillavit. Cultiùs loquar illa virtuosa laudatur Periodus quæ ducitur tanquam ex filo & magnum pressula rotunditate in se complectitur sensum. Ejusmodi omnigenæ perfectionis punctum in Thomisticum Solem collimavit, ipsi radij in pectore THOMÆ indigitant non sine nota admirationis Perfectissimam ÆTERNI VERBI Periodum. Hic Supremus Theologorum Præses de Altissima Sapientia in Theologicis mysterijs verum expressit sensum. Hic Angelicus Doctor de Abbreviato Verbo brevissimè omnia absolvit profundissimis argumentis

con-

conclusit. Ignotus adhuc Mundo THOMAS, per Anachoretam in dumosis eremiticis sylvis piam arctæ vitæ austeritatem degentem inauguratus Theodoræ Matri: Athænis & Lycæis notificatus. Latebat Donum Dei Theodoram, quâ gemmâ locupletabatur, quid in penetralibus quid in archivo sui pectoris condebat, ecce Perfectissimam Periodum quæ ad informationem rudis sæculi ex visceribus Ejus desumpta efformata. Quidquid procax Anachoretæ argumentabatur lingva, hoc objectum fuerat verum, nec spes in sterilem cecidere glebam, verùm in fructum prægnantem. Non ex crassa Serviliorum vena, sed ex purpurato Regum Cæsarumq; Siciliæ & Aragoniæ sangvine progenitus THOMAS, omnem crassum erubuit sensum. Primum vitæ suæ exordium serò inchoavit non absq; prodigio, supra elaboratum enim sensum sudant ingenia & commorantur, maturus ex arbore lentè carpitur fructus, qui per longum dulcescit tempus, magnifica sunt, quæ non sæpè contingunt, senescentibus Parentibus in gaudium juvenescit proles, unius roris partus sunt fungi: non gemmæ, & elephas decennio parit sed elephantem. Infans hic ad millena Superum oscula natus, fasciis involvebatur ut fieret volubilior, prægrandes Avorum Atavorumq; admirabatur imagines, quoties Illustres illorum frontes intuebatur, toties cerebrum sumebat ut docta Periodus esset: quis ex infantilibus cunabulis tanquam ex tabula Periodum non conjciet THOMAM. Novit hic Adolescentulus inter crepundia vitreum esse quidquid lucet, novit porrecta ephæbis mala non semper gustui arridere & inter sonora tintinnabula novit citiùs pueros plorare quam tripudiare: maluitq; portari nutricum manibus ne ad vitrea crepundia offenderet pedem, in quibus mobilis non solidus apprehensa à longe Marianâ schedulâ ruit in terram, mirus casus: sed in venerationem MARIÆ, detineri ambitu manuum non potuit: utiq; rotunda & sinuosa Periodus erat. Effrenatus in omne fas, cereus in virtutes, insolens pusio ad talem chartam, quam in ore non in otio consumpsit. Qualis ista charta fuerat? ecce diploma Reginæ Cælorum, ecce intitulata Mariano Nomine epistola: mysterium Angelicæ Salutationis continens: quod modo devota mente recitamus: Ille in statera oris sui ponderavit: inauditumq; secretum ob-

 sigilla-

ſigillavit pectore toto. Dimiſſus è manibus Angelicus Iuvenis THOMAS in terram, in domicilio cordis ſui inhabitatæ gaudium annuntiavit MARIÆ. Verus futurus Religioſus cælô non cellâ dignus: ut Ianuam Cæli apertam haberet ſupplici voce pulſare didicit ad Inventum AVE MARIA. Mare Gratiarum abſorpſit Abyſſus THOMAS, ut omnem in ſe perfectionem adimpleret, arida aliorum deſideria coronaret, & in Nomine Omnipotentis MARIÆ omnibus fieret omnia. Quoties ad tacitas Religioſorum cellas incantabat AVE MARIA, toties plauſum fecit Aſſumptæ in cælum MARIÆ. Probavit oculorum aciem ad Aciem Caſtrorũ Ordinatam Divinior hic Cyneas rotunda ſalutationis periodo Civitatem Refugij expugnavit, amicum ſe à corde MARIÆ demonſtravit: non inimicum. Ut viveret & viveret abundantius de Benedicto Fructu alebatur, lacteâq; delibatâ chartâ ut ſuavior foret Periodus. Apoſtolicus Notarius THOMAS cæleſtia imprimens acta torculari cordis ſui, non miſcebat rotundis quadrata. Verbo ſi ex auctuario plurimorum verborum accreſcit periodus, THOMAS in roſeo cordis ſui folio Angelicam amplificationem concluſit ut profũdis ac pluribûs ſenſibûs cõſtaret Periodus. Exemplar pietatis normam Sanctimoniæ ex prodigioſa ſchedula cum didicerit, ad humaniora ſtudia ſuum animum convertit, in Monte Caſſino tanta mentis tumuit magnitudine: ut etiam acumine ingenij Cælum expugnare videretur, in hanc ſubtilem aſſurgendo Quæſtionem: QUID EST DEUS? Obſtupeſcite Auditores: Infinitum Unumq; in Trinitate Deum cancellis capaciſſimæ mentis concluſit THOMAS, hoc thema propoſuit: quod ſapit æternitatem Abyſſus, profunditatis THOMAS, an Periodica ÆTERNI VERBI Circumductio. Militet numeroſus Angelorum exercitus cum decertante Angelico Doctore, reſpondeat ad ineffabilem Propoſitionem ſuis linguis Cælum, aut potuis mecum concludat æternitas affirmativè de THOMA, Qui tribus verbis probabiliter abſolvit omnia Perfectiſſimam Periodum eſſe. Si quandum terrennis mortalibus conferunt beatitudinem ſcientiæ, certè ſub Benedicto Profeſſore hæc omnis influxit in Abyſſum THOMAM tanquam ros in concham, in oblongum laudis folium Doctoralemq; lauream THOMÆ ceſſit Gentilitia hujus Præſulis Roſa. E Caſſino

Monte venientem Neapolim THOMAM, umbræ etiam bicollis Parnaſſi venerabantur non metuebant. Quid dico in ſollennem Illius plauſum montium juga aſſurgebant, nec jam THOMAS in Parnaſſo hoſpes; ſed in THOMA domeſticus Parnaſſus cernebatur, poeticis firmatus pedibus ſolidis conſtantiſſimus in virtutibus, in umbrifero ita eminuit alto, quaſi in apogæo Phæbus. Per incrementa probitatum fuſam dinumerabat quantitatem, prudentiſſimus annorum & factorum computator in quædam commata teneram diviſit ætatem, ut ex tanta ſerie fieret Periodus ÆTERNI VERBI in infinitum protenſa. Quæ ab alijs perficiebantur, illi perfecta & conſummata: fuêre, quæ alijs adijciuntur, illi ſubjecta, quæ alijs accidiſſe illi deſtinata fuiſſe credebantur, ſudores: ſteriles aliorum guttæ, Illius gemmæ, ſtudia finiebat in puncto, vitam abſolvebat in perfectione, ac Periodus in plenilunio conſummatæ prudentiæ fuerat: rotundiſſima. Innatæ modeſtiæ ſpectaculum, parvæ de ſe opinionis amator, evanidas mundi voluptates pulcherimè per humilitatem eluſit unicus Servorum Servus factus in Religione D: Dominici ſed Ipſius Dei. Illuſtriſſimas à Sereniſſimis Aragoniæ Regibus diductas Ceras, illuſtribus religioſis junxit umbris, fulgentiſſimas Aborigenum Imagines altarijs Divorum conſecravit; non ad purpuratos Majorum ſuorum faſces ſed ad facem Dominici Sacratioris Diogenis vigil DEUM non homines quærebat, liquidum Elementum factus eſt AQUINAS, ſed in profundum amorem ſolius DEI, ſummopere hoc contentus videri in Choro non in throno, magis appetens in ſacris latere angulis, quam in majeſtate lucere. Munitum & beatum ſe undiq; cenſebat in Sacerrimo Dominici Monaſterio, ſed adverſam expertus eſt militiam: utiq; pacatum mare fluctus in tranquillitate componit, libera avis dum nimis volat exitium ſibi liberis proſcribit alis, vertitur ſæpiùs cythara in luctum: madidiſq; inſunt lachrymis joci, THOMAM capere ac decipere volentes inimici fratres non amici, ad occluſam clauſtri ianuam vigiles excubias peragebant. Vado Orator nempè Lutetiam: quo me atalanteo ſaltitans paſſu Dominici ducit catellus, ſi ille ſilebit pax erit, ſi latrabit certè in inimicos; ego penes Te conſiſto THOMAM & prout potero defendam, aut Tu me ipſum defende protege ab-

sconde: ut Abyssus protectionis nostræ. Ita factum prout resonuit echo: ferijtq; ingens sidera clamor: & stupeo quanti Te visibiles circumdederunt hostes nonhospites, unum par fratrum sed dispar charitas, binio, absq; unione, discors concordia, uniti affectus vinculum dissolutum, duo fratres bini fratricidæ, E fronte Angeli à tergo arietantes agnelli, jam in Te commorantem in sylva innocuam conspirant oviculam: ut à Grege Dominici expellant. Multa verborum scommata non commata perpessus THOMAS, plurima acutæ lingvæ incisa pertulit: cultior Periodus formabatur. Vix tandem stetit ante faciem Matris illico in venerationem Ejus corruit telis furoris non amoris impulsus. Crudelis Patrona non mitis Domina, noverca non Mater, fulminatrix non protectrix, expugnat pugnis firmum propositum THOMÆ, nimium desiderium summa extenuat fame, corpus carcere torquet, ferreis dedecorat catenis, ad velle THOMÆ indifferens est: sed spes inani crepuere vento: nec expugnavit, nec exstinxit, nec extorsit, nec distulit, nec damnavit, petra in suo proposito immobilis THOMAS, imo Periodus non vitiosa. Murmurant immensoso cum gemitu fratres, cum fremitu viperinæ sibilant sorores, amara non amabilis Mater inauditis cum strepitu acclamationibus silentiosum carcerem implet, THOMAS ad rauca verborum horologia cor suum pungentia extra punctum perfectionis non excessit. Ad extremum pulchrum monstrum compta in imagine infernalis elaborata Sibylla fallere THOMAM voluit sed non potuit, clarissima enim Periodus figmentatam non involuit Prosopopæjam. Plus vigila nec somno deditus esto o THOMA! Virgo hæc virga est, à qua etiam vapulant innocentes, hostis in caput non hospes, elegans probrum, dedecens Pulcheria, incompta Pandora, & atrox harpya. Virago hæc astu & fastu plena time formosam & formidolosam, quoties aciem oculorum vibrat, toties occidit, quoties os aperit, toties quærit quem devoret, quoties præsentat faciem, toties funebralem accendit facem acutaq; lingua astutas insidias struit. Verùm has incultas formas THOMAS Periodus non admisit, tantos errores apertè cognovit in occulto antro, larvam hanc vitiosam ustulata tæda proscripsit, eliminavit, fomitem fomite ignibus ignem ex-

stinxit.

exſtinxit. Illuſtris Periodus non abſq; ornatu baltheo ab Angelis THOMAS præcinctus non abſq; pleno ſenſu: Quem ad ſatietatem ſatis aluit Cælum. Egreditur per feneſtram de ſervitute liber in conſcientia, egreditur hac viâ: quâ cæteri ad æternitatem ivere, non clava ut Hercules: ſed uſtulato titione de lernæa triumphavit hydra, effrontem Cruce Domini in fronte ſignavit, & ut alter animæ ſuæ Salvator de inferioribus tenebris reſurrexit, cardo virtutis THOMAS vitiis oſtium clauſit, & de occluſo carcere ſic migravit: ut ſinuoſa Periodus transferri ſolet. Rupes poſt Orphæum currant, THOMAM Agrippinam tendentem ipſa eloquentia feſtina ac feſtiva Gradatione concomitatur. Ad liligeros Pariſiorum flores, floridæ fructus ſcientiæ, emedullatæ ſuccum ſapientiæ ſub Magno ALBERTO ut laborioſa colligens apis, inſperatum degeneravit in bovem ob ſummam modeſtiam prænuntiam Sanctitatis à coathletis profanatam. Bos THOMAS: quoties mugijt: toties vox veri fuerat Periclis ÆTERNUM VERBUM declamantis. Bos THOMAS, cujus hæc proprietas rationari, argumentari, & cornuto dilemmate Manichæos arietare. Bos THOMAS: ſed de hoc grege Qui dixit de ſe: Ego ſum Paſtor Bonus. Bos THOMAS: qui excelſo oculo ſuperbos deſpicit heræſiarchas. Bos THOMAS: ſimplicis de ſe ſenſus & profundum claudens ſenſum Periodus. Bos hic antequam dulce Lignum CHRISTI portavit, amarum prius impoſitum ſibi à condiſcipulis tulit jugum. Bos THOMAS, Ejus paſcua FLOS CAMPI. Bos THOMAS: qui BENEDICTAM vexit TERRAM ad Cælum. Bos THOMAS: qui ad deportandam Arcam DEI ſucculaneos humeros ſupponebat. Bos THOMAS: qui in Mariano Roſeto arabat, decades non decimas numerabat. Bos THOMAS animal diſciplinabile: cognovit ÆTERNUM VERBUM, flexis genibus adoravit, cornua in circulum arcuavit, ut perfectius in periodica circumductione delinearet. Bos hic prænuntius pluviæ, ſed largæ pænitentiæ. Bos THOMAS: non abſq; mortificationis flagello. Bos THOMAS non licentioſus extra præſcriptos limites mandatorum DEI: imo Periodus non excedens extra ſphæram. Bos hic qui de Fonte Vitæ profundum ſenſum hauſit, ut fluida Periodus eſſet. Bos THOMAS: ſuo obediens Magiſtro & Paſtori. Bos THOMAS in umbris religioſis quieſcens. Ab hoc Bove

majori: discant arare minores & grana sapientiæ cultius in agellis rudium ingeniorum seminare. Bos THOMAS: quoties in literaria arena reboanti infremuit voce, toties non interrupta Periodus erat. In intimam venerationem Dei membra sua strangulabat hic Bos,ut membratim Periodus clauderetur. Bos THOMAS: grãdia afflictionũ sustinuit propterDEUM juga,utiq; sic vos non vobis fertis aratra boves. Bos THOMAS de svavibus scientiæ fructibus alebatur: ne cruda & insuavis Periodus esset. Desinite jam magnificum nihil strepitantes & insultantes contra assurgere ingrati commilitones, jam THOMAM humilem suum Discipulum in celsum laudis elevat gradum, jam non Bovem sed Jovem concelebrat ac super cathedras effert ARCHIEPISCOPUS Magnusq;Ludimagister ALBERTUS. *Tu mihi non respondentis sed Doctoris locum obtinere videris:* Aqvila magnarum alarum in Cathedralem nidum evolavit Doctor, THOMAS, numerosis pullis circumdatus, unus hic Doctor tantum universis sufficit Auditoribus, quantum unus Phæbus universo. Stetit in theatro eruditionis non aliter Sol Thomisticus nisi tanquam in primo signo & Doctorali annulo consignavit se Perfectissimam ÆTERNI VERBI Periodum esse & plenam tanquam in flore. Verum si à Purpurato Capite sensum laudis emeruisti, ab altero capite prodigiosis manibus ex herbis artefacto de justa causa damni accusaris. Quis ausus! quæ licentia! quam irrecuperabile nocumentum! o THOMA? in miraculosum caput inadvertenter peccasti, delicatissimum membrum quod sæcula cum reverentia servarent cito vibrata oculorum acie occidisti & proscenium omnium temporum unico in puncto sustulisti. Aurum nihilominus ad ignem clarescit, tersissimæ gemmæ ad crassum pulverem pulchrius nitent, virtus inter contraria eminet magis & inadvertentes casus, sæpesæpius vertunt aleam felicitatis. Dejecit de mensa caput fictitium THOMAS: ut in sola veritate componeret Orbem. Prodigiosum opus ad ultimam resolvit materiam paravitq; ex his ipsis herbis capitali hosti ignorantiæ medellam. Caput primæ admirationis ad talem deduxit finem, ut tanquam à capite magna Periodus esset. Delicatum hoc cecidit membrum, ut THOMAM Periodum cæsim ac membratim de ÆTERNO VERBO concludentem prono in terram

capitiś nutu indigitaret. Nondum redeunt gramina campis:quid fecisti THOMA? ver cum autumno, hyemem cum æstate variâsti, quæ causa! qualis virtus! quis effectus? dum herbosum caput inverso modo plantasti an supplantasti: quod perenniùs floreret, quod miracula loqueretur, svavem omnibus spiraret heccatomben, si in suo non opprimeretur flore. Prorsus non est casus sed elevatio, non contingens sed continuatum prodigium: ex fronte mensæ dejectum caput ante faciem THOMÆ procubuit: utiq; futurum Ecclesiæ Doctorem facie ad faciem adoravit, profundissimè salutavit. Si caput hoc factũ infirmum, minimè tamen divisus in partes Orbis laborabit, haud unquam extremisabit, cui sanum THOMÆ Judicium abijt in pharmacum. Magno sudore elaboratum caput, quodammodo laboravit & ex suis flosculis THOMÆ Doctori Doctoralem lauream elaboravit. O THOMA! si Te per longos verborum tractatus, nec per partes Orationis demonstrare valemus Oratores, per capita Te cognoscat Universus Periodum ÆTERNI VERBI Perfectissimam. In Claustro AQUINATIS ÆTERNUM bini APOSTOLI deprædicant VERBUM, acuminosũ de Illo Gentium Doctor PAULUS de suo libro explicat sensum, Claviger PETRUS cor scrutatur in profundiora arcana, THOMAS ad annulum Piscatoris Periodus rotunda,& ad acutum gladij stylum non crassa apparuit. Gravem hujus Periodi sensum acutâ & astutâ lingvâ præscindere hæresis voluit. *Tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam*, sed integra tanquam ex torque protrahitur clausula, *Conclusum est contra Manichæos.* Eant in spatiosum circulum calami, citiùs ac in puncto cessabunt, quam punctum Thomisticæ attingent laudis, phæbeum THOMÆ ingenium inconnivâ pupillâ JOANNIS Aquila miratur non speculatur. Bos LUCÆ obmutescit, quia rationabilem THOMAM stupet & præ stupore cornua sentit, Angelus MATHÆI pennas non adaptat, sed Almo substernit Doctori. Leo MARCI flebili rugit voce supra abyssale & profundum THOMÆ Nomen: quomodo nos imbelles Oratores Abyssum penetrabimus THOMAM, qua cymba ingenij vastum Aquinaticum tranabimus Mare, quam athomum addere nitimur Thomistico Soli, qui omnia in se collecta lumina tenet. Adamantinô calculô signanda sunt verba, sisyphio opere sculpenda hujus Doctoris myste-

ria, totam ex AMBROSIO primis labijs exſuxit ambroſiam, quam alij nec ultimis poſſunt, AUGUSTINUM Auguſtiſſimum effecit, Summum HIERONIMUM concluſit; maximum in ſe exæquavit GREGORIUM, Abyſſus THOMAS tanta ingenia abſorbens ac Periodus Profundiſſima. Quidquid fecit in puncto hoc coronæ æternitatis inſerendum, in quæſtionibus clara dogmata expoſuit, in concluſionibus Prothaſim & Apodoſim miſcuit, in ſillogiſmis omnes particulas poſuit, Summam Summæ ac innumera dinumeravit volumina, ut his præmiſſis conditionibus perfectior Periodus inferretur. In publico diſputantium conflictu acerrimus, in Religioſa Synaxi devotiſſimus, optima in forma Periodus THOMAS plenam Syntaxim in ſe comprehendit. Diſputantem hæreſis timebat, orantem expanſo pectore Ipſe DEUS amabat, ſupra veram Illius eruditionem per ſuam Crucem jurabat *Benè ſcripſiſti de me THOMA!* jam Thaſis perfectiſſima THOMAS abſq; ſenſu ſuſpenſo: jam fluida Periodus adinſtar ſcaturientium pleno Sangvine Vulnerum CHRISTI Penduli in Cruce. Bene ſcripſiſti THOMA: in excellenti Periodus es. *Quam ergo mercedem recipies?* quâ perfectum tui laboris opus claudetur coronide, ecce corona æternitatis abſq; coronide. Imo ſi Totus AQUINAS ex anagrammate fluit & liqueſcit in aquas, ſupra has aquas in ſpecie Columbæ PNEUMA DIVINISSIMUM ferebatur, nidû ſecretorû ad Abyſſum poſuit THOMAM, ſuiſq; pennis pneuma ÆTERNI VERBI perfectiſſimè circumduxit. In Romanum miſſus Orbem THOMAS: de ſeptem altis collibus in vitia hæreticorum fulminabat, omne ſcelus ad ultimam Thulen propulſabat, clariſſimè conceptum ÆTERNI VERBI demonſtrans ut eſt in Cælo. Quæ PAULO dicere non licuit, hoc THOMAS prædixit, didicit omnes, qui THOMAM intelligit, de DEO ſic loquebatur quaſi omnia vidiſſet, De TRIBUS PERSONIS quaſi Singulas noſſet, diſputavit ut Spiritus, ſub nota peccata, ſub cryſtallo claras virtutes demonſtravit, de ABBREVIATO VERBO prout periodicè concluſit, revelet poſt fata Socius THOMÆ apparens non ego ſilentioſus Orator. Altum Eruditionis THOMAS ſuperba ſcientiâ non inflatum: pungendo & puniendo mortificationibus innocens ſuum corpus, talibus punctis perfecta Periodus non abſq; figura admirationis claudebatur. Canon oraculorum

THO-

